8

CONGREGATIONE
SAC. RITVVM
D E

Oratorio in honorem Sancti Iobi Albani conſtructo.

I V R I S

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Suffraganei;

S V P E R

Denegatione publici Cultus.

ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.
M. DC. LXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſs. & Reuerendiſs. Domini

DE

Oratorio Albani conſtructo ad publicum Sancti Iobi cultum.

STATVS CAVSAE.

SVffraganeus Eminentiſs.ac Reuerendiſs. Card.Grimaldi Epiſc. Albanen. cum audijſſet,Oratoriũ quoddã Sancto Iobo non ſolũ auctoritate priuata conſtructum in loco, vbi Paſtoris vices ſibi demandatæ ſunt,ſed & in eo feſtiuam dicto Sancto celebritatem attentari, publicumq;cultum adornari, obtentu etiam Breuis Indulgentiæ (vt dicitur) plenariæ pro die 10.Maij, omninò refragatus eſt, tum dedicationi Oratorij, tum euulgationi Indulgentiæ memoratæ ob id.vel maximè, quòd & deerat ſubſcriptio Secretarij, & clauſula aderat irritans *dummodo Eccleſia non eſſet Regularium*. Conqueſti ſunt ea de re quidam,editis etiam ſcripturis, quibus perſuadere conabantur, id nimiæ fuiſſe duritiei, & moroſitatis; quinimmò & minantur, niſi acquieuerit, vbi modò exigüa offerunt, ſe poſtmodò plura in volumen eſſe congeſturos. Sed enim,quemadmodum nec magno molimine,nec magno volumine indiget veritas,ita is probè nouit,Epiſcoporũ eſſe,nõ omnibus obſequi, ſed pro virili inficias ire,ſi quando petita nouitatẽ redolere deprehendantur. *Hoc vnum requiro* (dicebat Nazianzi Theologus,cũ ab centum quinquaginta Epiſcopis abdicationis ſuæ libellum efflagitans, illis aperiret, qualis ſibi eſſet in Epiſcopatu ſubrogandus) *vt ex eorum numero ſit, qui non in omnibus rebus cunctis obſequuntur; ſed qui in quibuſdam etiam, ob recti ſtudium, in hominum offenſionem incurrunt. Alterum enim in præſens iucundiſſimum eſt; alterum in poſterum vtiliſſimum.*

Nazianz. in orat. ad 150. Epiſcopos.

HYPOTHESIS.

An prædictus cultus Sancto Iobo in Ciuitate Albanen. permittendus?

Doctrina erat Ariſtotelis, quòd *qui ſcit diſtinguere, in procinctu eſt, vt diſcernat verum*; ideò ad ejus rei indaginem nos quoque viam diſtinctione applanemus. Tria hìc ſecernenda ſunt, quid ab Eccleſiâ latina *poſſit fieri*, quid *voluerit fieri*, quid demum *conſueuerit fieri*. At verò, quia tractatui particulari præmittendus eſt tractatus vniuerſalis ex eodem Philoſopho, nè eadem ſæpe numero repetere cogamur, operę pretiũ erit, idipſum inquirere vniuerſim de omnibus veteris teſtamenti Sanctis. Igitur ſit

Ariſt. 1. Elench. cap. 6. illud eſt de Multiplici.

Ariſt. lib. 1. de partibus animaliũ c. 4.

THESIS.

An in Eccleſia latina permittendus ſit Sanctis veteris teſtamenti cultus publicus, feſtiuaque celebritas?

Vt trimembri, quæ præmiſſa eſt, diſtinctioni, noſtra reſpondeat determinatio, rem totam tribus abſoluam aſſertionibus.

PRIMA.

Eccleſia latina potuit publicum cultum, feſtiuamque celebritatem edicere de omnibus Sanctis veteris teſtamenti.

Laborem probandi ſuſtulit nobis Antigrapheus, quæ enim iam congeſſit, in volumen etiam (ſi ſuperis placet) congeſturus ex Eccleſiaſt. ex Ezechiele ex Iacobo Apoſtolo, ex Epiſt. Ignat. mart. ad Philadelph. ex Auguſtino, ex Greg. in Moral. ex Bellarmino, ex Abb. Berengario, ex Concil. Moguntino vagè, & ſine vlla determinata citatione adducto, ex Trident. & alijs, nihil amplius conficiunt, quàm quod Eccleſia latina potuerit, ſi libuiſſet, in Album Sanctorum ſolemni ritu redigere omnes veteris teſtamenti Sanctos, Prophetas, & Patriarchas. Quanti autem ponderis ſit ad intentum, quod ex Concilio afferebatur Moguntino, capitis (quod forte ob id ſuppreſſum eſt) lemma nos edocet; eſt enim caput 45, cui ea eſt inſcriptio; *De inuocatione, & veneratione Sanctorum.* Quid, & quorſum illhuc Sancti veteris teſtamenti? Citatur ad hoc ipſum non maiori fructu 7. Synodus Nicena. Septimam Nicænam, hoc eſt, quæ ſeptima ſit inter Nicææ habitas, ego nec noui, nec memini, quippe quia duæ tantùm, non ſeptem Synodi generales, Niceæ coactæ ſunt, vna tempore Conſtantini primi, cognomento magni, anno Chriſti 325, altera anno 787, tempore Conſtantini VI, eius nimirùm, quem Leo IV. Imperator ex Irene ſuſcepit.

Contel. de canoniz. SS. cap. 11. a nu. 2.
Guyet. l. b. 1. cap. 5. quaſt. 8.
Matta p. 4. cap. 3. à num. 1.
Caſtellan. q. 4.
Bellam. in c. 1. tit. de reliq. et vener. SS.
Caſtellin. cap. 1. nu. 66.
Durand. lib. 7. cap. 17.
Beleth. cap. 138.
Turrecr. in cap. 1. c conſecr. diſt. 3.

Aſſertio hæc noſtra eſt Felicis Contelorij de canonizat. ss., Caroli Guyeti in Heortologia, Caroli Felicis de Matta Epiſcopi Sancti Seueri de canonizat. pariter Sanctorum, Iacobi Caſtellani tract. eodem, Aegidij Bellameræ in tit. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, Lucæ Caſtellini de certitud. gloriæ Sanctorum, Guillelmi Durandi in Rational. Diuin. offic. Ioann. Belethi ibidem. Atque vt demum nobili huic Doctorum catenæ fortior annulus in fine reſeruetur, eſt Ioannis etiam de Turrecremata Dominicani, doctrina, atque ac purpura Eminentiſſimi, in titulum de conſecrat. Rationes, quas quidem complures ad id proferre poſſem, ex dictis Authoribus, omnes compingo in hanc vnam. In quibuſcumque nota eſt præcellentia meritorum, virtutum, gratiarum, & certitudo Beatitudinis, illis omnibus ab Eccleſia latina edici poteſt feſtiuus, publicuſque cultus; in Prophetis autem, & Patriarchis, & id genus alijs veteris teſtamenti Iuſtis, ac Sanctis ex ante dicta præcellentia, ergo Prophetis, Patriarchis, & id genus alijs veteris teſtamenti Iuſtis, ac Sanctis ab Eccleſia latina edici poteſt feſtiuus, publicuſque cultus. Propoſitio conſtat ex communi doctrina Scriptorum, paulò ſupra laudatorum. Aſſumptio eſt Scripturarum canonicarum, in quibus eximia leguntur antiquorum Patrum præconia.

OBIECTIO.

Non potuiſſe tantùm, ſed re ipſa publico cultui ab Eccleſia latina expoſitos fuiſſe veteris teſtamenti Sanctos, contendit Antigrapheus hiſce verbis: *Quemadmodum eorumdem mentio in Martyrologijs hac firmiter tenenda compellit, cum Eccleſia ſingulorum veteris teſtamenti Prophetarum depoſitiones commemoret, & ijs Templa, & Altaria erecta, eorumque ſacra Lipſana, & reliquias publico cultui Sanctorum expoſita recenſeat.* Hactenus ille.

SOLVTIO.

Antequam occurram, noto perperam poſt *lipſana* exſcribi, *& reliquias*, quaſi hæc aliquam patiantur diſtinctionem, cum omninò eadem ſint, omninò ſyno-

ſynonima, perinde ac *veſtis*, *& indumentum*, vt patebit omnibus illis, qui hoſpites non ſint in lectione Sacrorum Conciliorum. In Concilio enim ſeptimo generali, act. 1. Baſilius Ancyræ Epiſcopus ea voce vſus in hæc verba, *Sanctas, & pretioſas reliquias eorum* Sanctorum *cum omni honore ſuſcipiens ſaluto*, vbi quod in textu græco eſt *lipſana*, latinè vertitur *reliquias*.

Tùm obiectis occurro. Quòd Sanctorum Prophetarum, & Patriarcharum veteris teſtamenti nomina Martyrologijs fuerint conſignata, hoc ſolùm indicat, potuiſſe ab Eccleſia latina ſolemni cultu celebrari, non autem ſolemni cultu vſquedum actu celebrari. Vbi enim in Eccleſia latina illorũ Collectę? vbi liturgiæ illorum propriæ? vbi illorum officia? vbi demùm alia, quæ ad cultus publicitatem, de qua agimus, requiruntur? Conſulatur eruditus Scriptor Nicolaus Serarius in litaneutico. Quare ex eo, quòd potuerit in Eccleſia latina Sanctus Iobus feſtiuo cultu celebrari, velle inferre, quod debeat celebrari, eſt committere, vt Philoſophi voce vtar, *Sophiſma conſequentis*; vniſona enim vox eſt totius chori Theologorum, plus requiri ad *debere*, quàm ad *poſſe*. Miſſam facio, in Martyrologijs Bedæ, Vſuardi, & Adonis, ſed et in Romano quoque pleraque reperiri, quæ partis ſunt potiùs hiſtoricæ, quàm (vt ſic loquar) ritualis, quippè, quæ non ſemel obſecundare videntur Diptychis Græcorum, in quæ pro libito inſerendi, pro libito item deferendi quæcumque vellent, quanta illis fuerit licentia, is dicat, qui vel oculis volantibus aliquando percurrerit, quid ea in re factum fuerit, non ſolùm in Concilio Prouinciali Conſtantinopolitano ſub Menna, ſed & in V. generali, quid denique fieri conſueuerit *temporum Diptychorum*?

Serar. lib. 2. q. 18.

Ariſt. 1. Elencho c. 7.

1. 2. q. 6. art. 3. et q. 71. art. 5.

Concil. Prou. Conſtant. ſub Menna act. 5.

Concil. 5. gen. collat. 5.

Vnde Gregorius XIII. cuius iuſſu prodijt anno 1586. Martyrologium Romanum cum annotationibus Cardinalis Baronij, cenſendus non eſt, vltimam emendationis manum illi appoſuiſſe. Multa quidem laude in re Eccleſiaſtica dignus eſt, quòd, vt emendatum prodiret, quàm maximè curauerit. Fecit, quòd potuit; ſed quod potuit, non ſatisfecit acerrimo Vrbani VIII. iudicio, qui paulò poſtea Sulpitium Seuerum ex eodem Martyrologio Romano, vbi antea ſub die 19. Iannarij, obuius erat, iuſſit ſubmoueri. Quòd ſi cuipiam non adhuc hæc planè ſatisfaciant, quin potiùs ſimiliter hæreat illiuſmodi conſequentiæ: *Sanctorum veteris teſtamenti nomina leguntur in Martyrologijs, ergo publico cultui ab Eccleſia latina exponuntur*; huic ego parem reponam. In Martyrologio Romano legitur, *Laodicea in Syria Sancti Theodoti Epiſcopi, qui non ſolùm verbis, ſed rebus & virtutibus fuit ornatus*, ergò Theodotus Laodiceæ in Syria Epiſcopus ab Eccleſia latina publico cultui expoſitus eſt. Inficiaturne Antigrapheus, an datillationem? Cautè procedat. Sed prout conijcio ex illis eius verbis *Eorumdem mentio in Martyrologijs hæc firmiter tenenda compellit*, dat conſecutionem. Tum ego: Eccleſia ergò latina hæreticum Arianum inibi cultui publico expoſuit. Collectio hæc è foro prodijt veritatis, ſiquidem Theodotus Laodiceæ Epiſcopus, non ſolùm Arianus fuit, ſed præcipuus Arianarum partium fautor; immò & poſt Nicænum Concilium cum Arianis pertinax aduerſus Catholicos conſpirator. Qua de rè leges, ſi placet Theodoretum, & alios Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſcriptores. Nec propterea mirum, ſi Euſebius Cæſarienſis Arianorum vexillifer, libros ſuos de præparatione Euangelica illi dicauerit, illumque ipſum ad Sydera vſque laudibus ipſe ſuis extulerit.

Martyrolog. Rom. die 2. Nouembris.

Theodoret. lib. 1. hiſt. Eccl. c. 24. Euſeb. Cæſar. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 32.

Digitized by Google

SECVNDA

Noluit Eccleſia latina Sanctis veteri teſtamenti tribuere cultum ſolemnem, nec publicam edicere feſtiuitatem.

Rem facio perſuaſiſſimã. Nullius Sanctitatem voluit Eccleſia latina cultu ſolemni, publicaue feſtiuitate celebrari, qui vixerit, priuſquam domus Sanctitatis ædificaretur; ſed Sancti veteris teſtamenti omnes ad vnum vixerunt, priuſquàm domus Sanctitatis ædificaretur; ergò nullum Sanctorum veteris teſtamenti Eccleſia latina voluit ſolemni cultu, publicaue feſtiuitate celebrari. Propoſitio indè robur habet, quòd Domus Dei eſt Eccleſia, quæ permanet; non Synagoga, quæ deſijt: eſt Eccleſia, quæ viuit; nõ Synagoga, quę iam mortua eſt, & ſepulta. Eſt Eccleſia domus illa, de qua

Pſalm. 92.

cecinit ſacer Pſaltes *Domum tuam Domine decet Sanctitudo in longitudinem dierum*. Audiamus eximium illum à ſecretis cæleſtis ſapientiæ Auguſtinũ: *Domum tuam* exponit, *totam domum tuam, non hic, aut hic, aut ibi; ſed*

Aug.tr.8.in Pſ.92.

domum tuam totam per totum orbem terrarum. Quare, per totum orbem terrarum? quia, nempè abolitis legis vetuſtæ cærimonialibus, ſanctioribus legis nouæ præceptis *correxit orbem terræ, qui non commouebitur. Multi cadent, ſed domus illa ſtat. Multi turbabuntur; ſed domus illa non mouebitur. Domum tuam decet ſanctificatio Domine. Numquid paruo tempore? abſit: In longitudinem dierum.*

Adijcio aſſertioni firmitatem: Nec voluit, nec debuit Eccleſia cuiquam ex ſuis anſam præbere indaizandi; illam verò præbuiſſet, ſi Sanctis veteris teſtamenti altarium permiſiſſet erectionem, Oratoriorum, Sacellorumque conſtructionem, atque id genus aliarum ædium ſacrarum dedicationem: ergò nec voluit vnquàm Eccleſia Catholica nouitatẽ adeò pernicioſam admittere, quia potiùs pro viribus eniti debuit, vt quàm longiſſimè à finibus ſuis arceretur. Propoſitio eſt clarior, quàm vt maioris egeat adminiculo claritatis. Plenam facio aſſumptionem: Sancti veteris teſtamenti non fuiſſent ſancti, niſi legem vndècumque ſuam adimpleſſent; igitur legem

Ariſt.lib.1. Topic. cap. 1. lo. 9. Plato in Sophiſta.

veterem adimpleuerunt, non ſolùm quoad moralia, & iudicialia præcepta; ſed etiam quoad cæremonialia. Et quid aliud ſibi vult imago Sancti, in Eccleſia Chriſti fidelibus propoſiti, quàm imitationem? Imago, quæ ab imitando dicta eſt, tacita eſt inſpicientis compellatio ad imitationem Prototypi. Vnde imago Danielis, Hieremiæ, Iobi, & huiuſmodi Altaribus ſuperpoſita eſſet tacita fidelium prouocatio ad obſeruationem omnium eorum, quæ illi ſancti obſeruarunt. Illi autem non ſolùm moralia, & iudicialia præcepta obſeruarunt, ſed & cærimonialia, ergo illorum imago Altaribus ſuperpoſita, eſſet fidelium prouocatio ad omnium horum obſeruationem. Quid inde? Abſurditas adeò magna, vt induceret falſam fidei noſtræ proteſtationem. Etenim cæremonialia præcepta (puta comeſtio Agni paſchatis) reſpiciebant Chriſtum ſub ratione tantùm venturi, ſub ratione tantùm naſcituri, ſub ratione paſſuri, ſub ratiõne denique reſurrecturi: ſi quis autem noſtrum fidei ſuæ profeſſionem ad Chriſtum eo modo ordinaret, non ne falſitatem moliretur, legis nouæ, fidei noſtræ deſtructiuam? Porrò principia legis nouæ, quæ finis fuit legis vetuſtæ, omninò euerteret, ſi quis nunc proteſtaretur, Chriſtum venturum, quia de fide eſt iam veniſſe; Chriſtũ naſciturum, quia de fide eſt, ipſum iam natum eſſe; Chriſtum paſſurum, quia de fide eſt, ipſum iam paſſum eſſe; Chriſtum denique reſurrecturum, quia de fide eſt, ipſum iam reſurrexiſſe. Ea ſunt, quæ nobis compendioſiùs aperire voluit tertij cæli Theologus breui illorum verborum

S.Paul.ad Hab.c.10

ductu *Vmbram habet lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*. Sed

fuſiùs

fuſiùs reſerauit Angelicus eiuſdem interpres,& diſcipulus. *Quamuis* (ſcribit ſanctus Thomas) *ſit eadem fides, quam habemus de Chriſto, & quam antiqui Patres habuerunt, tamen quia ipſum praceſſerunt Chriſtum, nos autem ſequimur, eadem fides diuerſis verbis ſignificatur à nobis, & ab eis. Nam ab eis dicebatur, Ecce virgo concipiet, & pariet filium (qua ſunt verba futuri temporis) nos autem idem repraſentamus per verba praeteriti temporis dicentes, quòd concepit, & peperit. Et ſimiliter caeremonia veteris legis ſignificabant Chriſtum, vt naſciturum, et paſſurum; noſtra autem ſacramenta ſignificant ipſum, vt natum, et paſſum. Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc ſuam fidem proteſtando diceret, Chriſtum naſciturum, quod antiqui piè, et veraciter dicebant, ita etiam peccaret mortaliter* (attendant harum nouitatum cupidi) *ſi quis nunc caeremonias obſeruaret, quas Antiqui piè, et fideliter obſeruabant.*

D. T. 1. 2. q. 103. art. 4.

OBIECTIO

Ab Eccleſia latina celebratur feſtum Machabæorum cum eorum Matre, de quibus Ioſephus Iudæus hiſtoriam fuſiùs complexus eſt commentario ad Polybium Megalopolitanum inſcripto, atque ex obliuione vindicata (quod ab aliorum nemine factum ſcio) vniuſcuiuſque illorum nomina, nobis reſerauit. Mater ipſorum dicta eſt *Salomona*; filius natu maximus, *Machabaeus*; huic ætate proximus, *Aber*; tertius, *Machir*: quartus, *Iudas*; quintus *Achaz*; ſeptimus, omniumque natu minimus, *Iacobus* appellatus eſt.

Ioſeph. Hebr. in comm. ad Polyb.

SOLVTIO

Reſpondeo ex B. Bernardo, quod ipſum alibi reſumit, id factum fuiſſe ab Eccleſia ex priuilegio quodam ſingulari; licet enim omnibus tam veteris, quàm noui teſtamenti martyribus communis fuerit cauſa martyrij, ſcilicet mortem oppetere ex motiuo pietatis, ſolis tamen Machabæis ea fuit prærogatiua, vt in modo martyrij cum noſtratibus conuenirent. Dabo mox verba Bernardi. *Vniuerſis nempè tam veteris, quàm noui teſtamenti martyribus aequè conuenit pro iuſtitia occubuiſſe, ſed intereſt, quòd iſti paſsi ſunt, quia illam tenebant, illi quia non tenentes reprehendebant: iſti quòd illam non deſererent: illi quòd deſerentes, perituros eſſe aſſererent; Et vt breuiter, in quo differunt, proferamus, hos cultus, illos zelus iuſtitiae martyres fecit. Soli ex veteribus Machabaei, quia non ſolum cauſam, ſed & formam, vt dixi, noui martyrij tenuerunt, iure fortaſsè in Eccleſia cum nouis Eccleſiae martyribus eandem conſuetae celebritatis gloriam conſecuti ſunt. Inſtar quippè Martyrum noſtrorum liberè & ipſi Dijs alienis, patriamque deſerere legem, immò mandata Dei tranſgredi cogebantur: renuebant, & moriebantur.* Hæc mellifluus Doctor. Quæ tametſi ingenioſiſſimè prolata, improbantur tamen Theophilo Raynaudo in Heteroclitis ſpiritualibus.

S. Bern. Epiſt. 98. et 313.

Raym. Heteroel. ſect. 3. punct. 3. n. 13.

Sed pro Bernardo, illi regero quæ ad rem noſtram Poſterorum memoriæ cõmendauit Petrus de Natalibus Epiſcopus, (vt prætendit Epigraphe) Equilinus in Catalogo Sanctorum, vbi nos edocet, quòd inter Sanctos veteris teſtamenti, ſpeciatim ab Eccleſia latina feſtum Machabæis fuerit permiſſum propter rationes, quas ad verbum exſcribo. *Primò,* inquit, *propter praerogatiuam martyrij, quia inaudita ſupplicia vltra alios teſtamenti veteris paſsi fuerunt. Secundò, propter repraeſentationem myſterij; ſeptenarius enim eſt numerus vniuerſitatis; ſignificantur enim in iſtis omnes Sancti veteris teſtamenti celebritate digni, & in his ſeptem caeteris omnibus reuerentia impenditur. Tertiò, propter exemplum patiendi; proponuntur enim in exemplum fidelibus, vt ſcilicet eorum conſtantia ad zelum fidei animentur, & ad patien-*

P. de Natal. lib. 7. c. 4.

 dum

Digitized by Google

dam pro lege Euangelij, ſicu: & illi paſsi ſunt pro lege Moyſi. Quarta eſt propter cauſam ſupplicij, nam pro defenſione legis ſuæ talia ſupplicia paſsi ſunt, ſicut & Chriſtiani pro defenſione legis Euangelicæ patiuntur. Hæc ille, cui ad hæc ſcribenda facem prætulerat Ioannes Belethus.

D. Th. 2. 2. q. 174. art. 4. ad 3. Matta de Canoniz. p. 4. c. 3 nu. 18. Guyet. in Heortol. lib. 2. c. 7. q. 4.

Vt propiùs interea me conferam ad rationem pro aſſertione allatam, quia ad *Sanctitatis domum*, ad legem inquam Euangelij, ſpectant, tanquàm Deiparæ Virginis parentes, Ioachimus, & Anna, Ioannes verò Baptiſta, tanquam Chriſti præcurſor, atque indigitator, hinc, etiamſi ſuſpiratum Chriſti deſcenſum ad Inferos morte ſua præuerterint, nihilominùs celebritate ſolemni excepti ſunt, Ioachimus quidem à Greg. XV. Conſtitut. 39. incip. *Apoſtolatus officium*, Anna ab eodem Gregorio XV. Conſtit. 24. incip. *Honor laudis*: vbi etiam ſubijciuntur hæc. *Tanti dono partus à Domino dignatam Matrem tanquam honoris, & gratiæ cæleſtis abundantia ſimiliter decoratam vniuerſa Eccleſia tam in Occidente, quàm in Oriente præcipuo cultu, & religione proſecuta eſt.* Cur *tam in Occidente*? Quia nimirum non hoc moris erat, fuit, aut eſt Eccleſiæ Occidentali, vt Sanctos, Chriſti paſsioni præmortuos, publicæ exponat venerationi, ſed in Beata Anna hanc effecit particularitatem eius meritorum ſingularitas.

Iulij I. Epiſt. 4. ad Orientales in cauſa Athanaſij.

Plus adhuc roboris adfertur aſſertioni. Quicquid Eccleſia latina debuit, hoc tantū cenſenda eſt voluiſse; ſed non debuit ſolemni cultu exponere Sāctos veteris teſtamenti, ergò nec cenſenda eſt voluiſſe. Propoſitio eſt Iulij I. in Epiſt. ſynodica tertij Concilij Romani ſub eodem celebrati, ſcribentis; Eccleſiam latinam eſſe omnium *Matrem*, & *Magiſtram*: vt Mater nunquàm voluit, niſi quod profuit; vt Magiſtra, nil docuit, niſi quod decuit. In minoris comprobationem aſciſco verba Anconitani Theologi in ſumma de poteſtate Eccleſiæ. *Cauſa*, inquit, *ſemper præcedit effectum, & non ſequitur; ſed cauſa, & fundamentum omnium Sanctorum fuit Chriſtus, ipſe enim fuit Sanctus Sanctorum, vt ſcribitur Dan. 9. nullus ergò debet pro Sancto canonizari, qui fuit ante Chriſti natiuitatem.*

Aug. Triumph. in ſumma de poteſt. Eccleſ. q. 17. art. 2.

Confirmatur verbis eiuſdem Doctoris. *Canonizatio Sanctorum requirit tempus plenitudinis gratiæ; gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, vt ſcribitur Ioan. I. Sancti autem Patres veteris teſtamenti, quantacunque Sanctitate pollerent, non fuerunt in tempore plenitudinis gratiæ. Immò talis plenitudo gratiæ in lege illa, quaſi tenebatur incluſa figuratiuè, & ænigmaticè iuxta illud I. ad Corint. 10. Omnia in figura contingebant illis; nec præſentialiter intuebantur eam, ſed ſicut, dicit Apoſtolus ad Hebræos 10. Omnes defuncti ſunt, non acceptis repromiſsionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.*

OBIECTIO

Ex eo, quod quis fecit, colligitur, quòd illud voluerit; ſed Eccleſia latina præter antedictos, complures alios veteris teſtamenti Sanctos publico expoſuit cultui; ergò Eccleſia latina voluit huiuſmodi Sāctor. veteris teſtamenti cultū. Propoſitioni concinit vterq; chorus Iuriſconſultorū, & Caoniſtarū; docent enim vtriq; *plus confluere facta, quàm verba, ad declarandam alicuius voluntatem.* Aſſumptio conſtat ex eo, quòd PP. Carmelitæ celebrāt feſtiuo cultu, & officio Eliam, & Eliſæum, vt patet ex eorum Breuiarijs. PP. Minoritæ de Obſeruantia feſtiuo cultu Hieroſolymis proſequuntur complures veteris teſtamenti Sanctos.

Iuriſconſulti C. de dolo l. Dolam. Canoniſtæ 32. q. 5. cap. Qui viderit.

Greg. XIII. in Bulla edita anno 1584 incip. vt Breuiario.

Sed facilis eſt occurſus. Gregorius enim XIII. qui indulſit Carmelitis, vt poſſint feſtiuo cultu, & officio proſequi Eliam, & Eliſæum, cauſam peculia-

culiarem huiuſmodi indulti explicat dicens, hoc ideò eis fuiſſe conceſſum, quòd à multis ſæculis Breuiario vterentur iuxta *conſuetudinem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ*, ac proinde illi Patres in huiuſmodi ritu, Orientalis Eccleſiæ morem imitantur, non Eccleſiæ Occidentalis, abs qua tãtùm eiuſmodi conſuetudinem contendimus ablegandam. Per hæc patet ad id etiam, quod addebatur de Minoritis obſeruantiæ; etenim Hieroſolymitana, cui æquum eſt conformari, quicunque degunt Hieroſolymis, ad Eccleſiam ſpectat orientalem, non autem occidentalem; vnde conſuetudini obligatur orientalium, non autem Occidentalium. Videlis Lucam Vadinghum in Annal. dicti Ordinis, viri & indiculum exhibet peculiarium veteris Teſtamenti Sanctorum, quos Patres de Obſeruantia feſtiua inibi celebritate colunt, ac venerantur. *Hic eſt* ait *mos, & conſuetudo fratrum feſtiuitates Romani Calendarij illis in locis, fidei noſtræ originarijs, celebrandi: atque vltra has, alias habet peculiares Sanctorum, & Sanctarum illa Eccleſia Hieroſolymitana, quorum indicem hic adiungo &c.*

Vading. Annal. tom. 3. ad annum Chriſti 1342. n. 59.

Non eſt propterea mirum, ſi & Veneti (quorum Rempublicam vocauit *Chriſtianiſſimam* Honorius 1. in epiſt. vniuerſis Epiſcopis per Venetiam, & Iſtriam conſtitutis) recèns ex Græcia profecti, ſecum etiam Græcorum ritus, atque vſus aduexerint in Italiam, ac Venetijs Eccleſias conſtruxerint Moyſi, Abrahamo, Iobo, Hieremiæ, & id genus alijs veteris Teſtamenti Sanctis. Qua de re conſuli poſſunt Ioan. Belethus in Rat. Diuin. Offic. & Guliel. Durand. tractatu eod.

Honor. 1. Epiſt. 2. incip Suademus, et decretales aſſeq.

Baleth. cap. 128. Durand. lib. 7. c. 1 num. 41.

ASSERTIO TERTIA

Non conſueuit Eccleſia Latina cultum publicum, feſtiuamque celebritatem impertiri Sanctis veteris teſtamenti.

Vſus ex Canoniſtis eſt quid *facti*; quæ verò *facti* ſunt non præſumuntur ex Iuriſconſultis, niſi probentur. Quare, cum aſſertio hæc facti notitias inuoluat, probanda eſt, vel ipſa rei inſpectione, vel authoritate illorum, qui inſpexerunt. In materia autem conſuetudinis attendendum eſt, quid vſu fieri veniat in Dominante. Igitur quod fieri Romæ deprehendemus circa cultum ſolemnem Sanctorum veteris teſtamenti, idipſum etiam aſtrui debebit de alijs quoque locis, Opidis, Terris, ac Ciuitatibus, eidẽ Vrbi ſubiectis.

Cap. 1. de conſtit in ſexto.

L. in bello ff. de captiu. et paſſim.

Vna interim ex præcipuis cauſis conſtruendi Eccleſias, aut erigendi altaria Sanctis veteris teſtamenti, hæc à ſcriptoribus adducitur. *Si videlicet aliqua inibi inſignis eorum reliquia reperiatur.* Romæ autem in Baſilica Lateranenſi caput aſſeruatur Zachariæ Patris Sancti Ioannis Baptiſtæ, vt annotauit Carolus Felix de Matta in ſuo tractatu de canonizatione Sanctorum: Machabæorum reliquiæ, vt pro comperto habemus ex ipſo Martyrologio, Romam translatæ, in Eccleſia Sancti Petri ad vincula conditæ fuerunt. An propterea Romæ vllibi Eccleſiæ his, aut illi dicatæ? Altaria illi, aut his erecta?

Gabr. Gueet. in Heortolog. lib. 1. c. 5. q. 8.

Matta par. 4. cap. 3. num. 14.

Martyrol. Roman. die 1. Aug.

Et quidem oculis ipſe meis Romã totam circumluſtraui, tam ſuperterraneã, quã ſubterraneã, neq; vſpiã gentiũ inuenire, nedũ reperire potui Eccleſiam aliquã, arulamuè minimam, ſanctis veteris teſtamẽti dicatã. Diffiſus oculis, manibus arripui Antoniũ Boſiũ, Io. Roſinũ, Bartholomæũ Marlianũ, Io. Seueranum, Thomam Dempſterum, Paulum Aringhum, alioſque, eiuſdem notæ ſcriptores de Roma ſuperterranea, & ſubterranea, tum nuperos, tum antiquos; atque in his nè per ſomnium quidem aliquid ad rem noſtram. Et quod tam religiosè cuſtoditum eſt Romæ, negligendum erit Albani? Eccleſia S. Iobo Albani dicanda, dum nulla Romæ comperitur? permittendus

Digitized by Google

rendus illi ſolemnis cultus Albani, qui locus eſt (vt nemo ignorat) adeò Romæ conterminus, vbi Romæ ne hilum quidem eius rei minimum? Nequaquàm: etenim, vt fas ſit mihi reſumere Claudiani hexametrum, voculatenus duntaxat immutatum,

Vrbis ad exemplum totus componitur orbis.

S. Rituum Congreg. die 23. Aug. 1595.

Porrò non ſemel, ſed ſæpè, ac ſæpius Sacra Rituum Congregatio ad amuſſim eorum, quæ Romæ fiunt, alibi quoque facienda eſſe, decreuit; eiuſque declaratio approbata fuit à Clemente VIII. immò, & additum, vt in cauſis deinceps occurentibus, ità ſemper reſcriberetur.

S. Bern. epiſt. 93. et 313.

Tùm verò ad probationes ex ſcriptoribus, atque inſpectoribus reſpectiuè duetas accedamus. Religioſam hanc Eccleſiæ Latinæ curam abſtinendi à feſtiuo cultu Sanctorum veteris teſtamenti diſertis verbis Sanctus Bernardus indicauit Epiſtolis iam memoratis. Sub initium enim prioris, *Quæris* (inquit) *quidnam viſum Patribus fuit* (attende vſus vetuſtatem) *vt ſolis ex omnibus antiquis iuſtis, ſingulari quodam priuilegio* (nota verborum illorum energiam *priuilegio*, & quidem *ſingulari*) *Machabæis annuam celebritatem pari cum noſtris Martyribus veneratione decernerēt in Eccleſia ſolemniter exhibendam.* Hactenus ille. Cuius melle, vt magis, magiſque veritas noſtra condiatur, pondero, quòd cum Bernardus ſpatio circiter ſeptingentorum annorum inter viuos degeret poſt appulſum Venetorum, extructionemque Venetiarum ad oram Adriatici, ille tamen ſcripſit, *vt ſolis ex omnibus antiquis iuſtis ſingulari quodam priuilegio Machabæis &c.* Et quidem ab ſeptingentis plùs, minùs annis retroactis cum Veneti illùc aduecti, iàm omnes Eccleſiæ orientalis, vnde profecti erant, ritus adſeruarent, ſua non caret probabilitate, iam tum ab illis publica veneratione coli eos ipſos veteris teſtamenti Sanctos, quos in patrio Græciæ ſolo excolebant. Omni autem veritatis colore caret opinari, quod id ignoraret Bernardus, tot vbique gentium legationibus, ad ipſam vſque Italiā, perfunctus. Qua igitur ratione *ſolis Machabæis* aſſeuerare potuit, id fuiſſe indultum? Nempè quia cultum illum Moyſi, Hieremiæ, Iobo, Danieli à Venetis contributum, Bernardus non Eccleſiæ occidentalis, ſed orientalis eſſe computauit.

Venetiarum Vrbi ædificari cœpit ann. 421. ex Marco A. Sabellico Enneade 8. lib. 1.

Durand. Ration. diuin. offic. lib. 7. c. 20.

Lib. eodem cap. 1. num. 40.

Lib. eod. c. 1. nu. 41.

Deinde Gulielmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus. *Cum occidentalis*, inquit, *Eccleſia nullius alterius Sancti veteris teſtamenti feſtum celebret, iſtorū tamen* (Machabæorum) *& Innocentium feſtum recolit.* Cuius rei pauló antea rationem protulerat in hæc verba, *Ideò a nobis non celebrari feſta ſanctorum veteris teſtamenti, quia ad Inferos deſcenderunt.* Pauló poſteà, quaſi occurrere vellet tantantiſſimæ obiectioni de Sanctis veteris teſtamenti, in Venetorum Metropoli excultis, ſubdit: *Veruntamen feſta ſanctorum veteris teſtamenti, vt Abraham, Iſaac, Dauid, Daniel, & aliorum per Græciam, & apud Venetos coli dicuntur, & ibi habere Eccleſias.* Attende nexum illum *per Græciam, & apud Venetos.* Vt quid hoc? Quippe quia ea in re non ponunt in numero Veneti cum Græcis, ſed Græcorum rituum ſubeunt conditiones.

Beleth. in Ration. diu. Offic cap. 128.

Adhæc Ioannes Belethus tractatu eodem, poſtquàm aſſeruit, non hoc eſſe in vſu Eccleſiæ Latinæ, vt ſolemnem cultum permittat ſanctis veteris teſtamenti, eius rei rationem ſcribit: *De morte eorum non ſolemnizamus, quia ad Inferos deſcenderunt.* Paucis quibuſdam interiectis, ſubiungit: *Abrahami, Iſaaci, Iobi, Dauidis, Danielis, & aliorum feſta in Græcia, & Venetijs, etiamnum celebrantur, habentque vtrobique ſuas Eccleſias.* Neque hic vacat myſterio connexum illud: *In Græcia, & Venetijs.*

Turrecr. in c. 1. tit. de conſecr. diſt. 3. num. 15.

Præterea Ioannes ille de Turrecremata eximius Canoniſtarum, ac Theologorum choragus, & ſignifer, *licet* (inquit) *Eccleſia orientalis feſta faciat de Sanctis veteris teſtamenti; Occidentalis tamen Eccleſia veteris teſtamenti feſta non celebrat.*

Digitized by Google

Nauſea lib. 5. p. 2. cap. 4.

Vlterius, Federicus Nauſea Epiſcopus Viennenſis, grauiorum, doctiorumque Patrum vnus, qui Sacro Tridenti Concilio interfuerunt, in ſuo Catholico Cathechiſmo, cum præmiſiſſet, nunc ad Cæli gloriam euehi, quot quot in Chriſti nomine moriuntur, ſtatim ſubtexuit: *Id quod plerique omnes in veteri teſtamento non potuerunt, ſed planè compulſi ſunt deſcendere ad Inferos*. immediatè poſtea; *cuius ſanè cauſa, tametſi Orientalis Eccleſia, ſicut & Venetia* (ne habeas illud *ſicut* in tranſactis) *quod fertur, ſanctos veteris teſtamenti ſolemnizet; ipſa tamen occidentalis Eccleſia propter cauſam tam præmemoratam non celebrat; cum deſcenderint ad Inferos omnes; ſicut Pueri quoque Innocentes, quos tamen ſolemnizat; quòd in ſingulis eorum mortuus eſt Chriſtus, & inde occiſus*.

Albertinus Repetit. in Rubr. de heret. de Sacridoe Iudæorum num. 27.

Arnaldus quoque Albertinus Pactenſis Epiſcopus de literaria Spartha quàm optimè meritus, promotæ alicubi quæſtioni, *An de Sanctis veteris teſtamenti debeat Eccleſia celebrare feſtum, ſicut celebrat de Sanctis legis Euangelicæ*, reſpondet, Eccleſiã latinam, nec id ſolere, nec debere; in eiuſque rei rationem hæc adſciſcit. *In mortibus enim Sanctorum gaudia celebramus propter gloriam animæ, quam eos tunc conſecutos credimus: Vnde eorum tranſitum cũ gaudio recolimus; quia de morte ad vitam; de tenebris ad lucem; de exilio ad regnum; de miſeria ad gloriam, de præſenti ſæculo nequam, tranſierunt ad cœlum. Hoc non fuit in mortibus Patrum Sanctorum veteris teſtamenti; qui non in cœlum aſcenderunt, ſed in lymbum deſcenderunt: vbi non gloriæ participes, ſed pœnæ damni, licet non ſenſus, ſubditi ſunt, quia mortui erant ante Chriſti mortem, per quam ianua regni cœleſtis aperta eſt*.

P. de Natalib. in Catalog. SS. lib. 7. cap. 4.

Deinde Petrus de Natalibus, *Notandum*, inquit, *quòd Eccleſia Orientalis facit feſtum de Sanctis vtriuſque teſtamenti, Occidentalis autem non facit feſtũ de ſanctis veteris teſtamenti, eo quòd ad Inferos deſcenderunt, præterquàm de Innocentibus, eo quòd in ipſorum ſingulis, Chriſtus occiſus eſt; & de Machabæis, & hoc propter quatuor rationes*. Illæ ſunt, quæ ſupra inſertæ ſunt.

Heiſterbericẽſis Dialog. miracul. diſt. 8. cap. 48. Quare in Biblioth. Ciſterc. tom. 2.

Cæſarius etiam Heiſterbericenſis in Dialogo miraculorum ſcribit: *Modicam, vel nullam Patriarcharum, Prophetarumque teſtamenti veteris memoriam apud latinos celebrari, apud Græcos ſolemnem*.

Surar. Litaneut. lib. 2. q. 18.

Nicolaus Serarius in ſuo Litaneutico, *Inuocantur quidem*, ait, *à Chriſtianis, qui ex priſco fœdere ſunt Sancti; minus tamen frequenter nominatim; prout eorum etiam feſti dies in Latina, & Occidentali Eccleſia vix vnquàm aguntur*. Paulò poſtea; *cauſa verò ea videtur, quòd Chriſtiana libentius in Chriſto iam nato, & paſſo, & reſurgente, & in cœles aſcendente, Patres, ac filios amplectatur Eccleſia; hi enim nobis quodammodo, quàm illi; qui in venturum Dominum credebant olim, coniunctiores. Horum nobis, & fides, & imitatio ſine vlla veteris legis vmbra magis conſpicua, vtilis, ac iucunda; dum in eis & per eos Chriſtum Dominum, ſanctiſſimaque ipſius merita, & beneuolentiam illuſtrius intuemur, ac deprædicamus*.

Ricciull. lib 6. Lucubr. Eccleſiaſt. cap. 7. à num. 1.

Præterea Antonius Ricciullus Archiepiſcopus Conſentinus ſupradictis aſtipulatus, ait, *Sanctos Veteris Teſtamenti veneratur Eccleſia in Litanijs, dum inuocat omnes Patriarchas, atque Prophetas; eorum tamen feſtorum, licet Eccleſia orientalis aliqua celebrare conſueuerit, nihilominùs mos iſte in Eccleſia occidentali non eſt receptus*.

Guyet. lib. 1. cap. 5. q. 7.

Carolus item Guyetus in Heortologia, præfatus, abſolutè nihil vetare, quominùs ſanctis veteris Teſtamenti Eccleſiæ dicari poſſint, ſubiungit: *Dixi quidem nihil vetare abſolutè; Verùm, cum id ex communi Eccleſiæ vſu non ſit, ſicut nec de ijſdem feſtum, aut officium inſtituere; nollem meo ſuffragio comprobare* (Quod tamen haudquaquàm veritus eſt Antigrapheus) *ſi quis id tentaret inconſultis maioribus* (inter quos locorum Epiſcopi) *aut niſi graui ex cauſa, qualis eſſet, vel reliquia notabilis, ac benè probata ſuſceptio, vel miraculoſa aliqua ſubuentio, ſeu fauor inſignis, à Deo, Sancti huiuſmodi interceſſione,*

ceſtione,

Digitized by Google

ceſſione, recentèr impetratas. Quorum Albani omninò nihil.

Reuer^dìſſ. P. Mag. Sac. Pal. in Voto hac de re typis edito, anno 1677.

Agatho I. in epiſt. ad Conſtantinũ IV. Imper. eiuſque fratres Augg. Heracliũ ac Tiberium; incip. Conſideranti mihi humanæ vitæ etc. *Conc. 6. gener. Action. 4.*

Complures alios, & quidem non inferioris ſubſellij ſcriptores ante dictis ſubijcere poſſem, abs quibus recenſendis, nè ſcriptiuncula exereſcat in volumen, volens, ac lubens ſuperſedeo. Quia tamen animos magìs irritant, quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, ſuperſedere non poſſum à referendis votis, ea in re latis, non apud Iaponics, ſed hic Romæ, non abs triobolaribus Doctoribus, ſed à viris inſignibus, ac primi æris in re Theologica. In cenſura libri, hæc in pagina liminari prætendentis: *De cultu, & veneratione Sanctorum veteris Teſtamenti*, Reuerendiſſimus Pater Magiſter Sacri Palatij Fr. Raymundus Capiſucchus cum octo alijs in eam iuit ſententiam: *Totum opuſculum eo demùm tendit vnicè, vt inducat in animos Legentium exiſtimationem perabſurdam* (exulant procul ab Eccleſia latina, nulli vnquàm errori obnoxia, abſurditates) *de conuenientia, ſi non de obligatione inducendæ nouitatis* (cuius ſemper fuit omnia ſurſum deorſum perturbare) *in Eccleſia Romana circa publicum, & vniuerſalem cultum Sanctorum Veteris Teſtamenti, abolito diſcrimine, quod ab Eccleſia naſcente in hanc vſque diem obſeruatum perpetuò eſt* (ecquis nuperrimæ temeritatis ventus reflare auſit poſt tot ſæcula contra huiuſmodi perpetuitatem?) *quo ad numerum, vniuerſalitatem, & qualitatem celebritatum de ſanctis veteris, & noui Teſtamenti*. Interpoſitis poſteà, quæ habet Antonius Ricciullus, à nobis paulò ſuperiùs laudata, pergit: *in erectione quoque templorum in honorem Sanctorum veteris Teſtamenti parciſsimè ſe geſsit Eccleſia, nec ea paſsim, & vbique permittit, ſed pauca, & in vna vel altera Vrbe. Feſtorum autem inſtitutio, aut indulgentiarum conceſsio tangit vniuerſalem Eccleſiam, & omnes Fideles, ideoque in his mos huc vſque ab Eccleſia ſeruatus, non eſt innouandus, qui Sanctorum veteris Teſtamenti feſtiuitates, nec inſtituit, nec celebrauit, exceptis tribus illis, de quibus dictum eſt*: illæ erant Sanctorum Innocentium, Ioanis Baptiſtæ, & Machabæorum.

Quorum vigore, decretum à Sacra Congregatione Sancti Officij emanauit die 7. Nouembris 1674. in hanc formam. *Facta relatione à Reuerendiſsimo Patre M. Sacri Palatij de libro inſcripto, De cultu Sanctorum Veteris Teſtamẽti, Eminentiſsimi, & Reuerendiſsimi Domini Cardinales Inquiſitores generales cenſuerunt, non eſſe expediens, dictum librum imprimere, ſed remittendum Reuerendiſsimo P. M. Sacri Palatij*. Noluit Sacra Congregatio contrairi vſui huic, verbo; & contrairi ſinet facto? Sinet, Altaris erectione; cui renuit aduerſari dogmatis impreſſione? Refragari non permiſit libro; & refragari permittet Templo? Quàm aptè accerſiri hùc poſſet, quod Auguſtinus aliubì protulit aduerſus Donatiſtas: *Decretum emanauit Roma: ſtabilita res eſt; iam ceſſent Ranæ coaxare*.

OBIECTA

Non ſolùm ab ſe impugnatam, ſed & expugnatam credidit Antigrapheus aſſertionẽ noſtram per ea, quæ obijcit ad calcem ſcripturæ ſuæ. Sed enim quàm plumbeus ſit pugio, quo veritatem ferire adortus eſt, planum fiet confeſtim ex adducendis.

Obijcit igitur primò, *Summi Pontifices hactenùs liberum voluere, vt ſacras ędes, necnon altaria, & feſtos dies, æquè ac ſanctis nouæ Legis, Ioſtis, & Prophetis veteris teſtamenti Chriſti fideles erigerent, ac reſpectiuè celebrarent, propoſito pariter indulgentiarum lucro eorumdem Eccleſiam viſitantibus*.

Sed qua facilitate falſitas hæc profertur, eadem & reliditur; Aduerbium illud *æquè*, magnam inuoluit abſurditatem, & quidem iniurioſam inueterato Eccleſiæ Latinæ vſui, quippè quæ, vt verbis loquar prælaudati Magiſtri Sacri Palatij, *ſemper parcè ſe geſsit in cultu San-*

ctorum

ctorum veteris teſtamenti, nè Chriſtiani ad ritus hebraicos afficerentur. Nec unquàm aequaliter (vbi nam modo gentium illud *aequè*, quod opponebatur?) *ſe geſſit in cultu Sanctorum veteris, ac noui teſtamenti, quoad numerū, qualitatem, vniuerſalitatem, aliaſque circumſtantias, ac praerogatiuas, inter quas ſunt Indulgentiae*. Quàm vero illud *aequè ſit Eccleſiae Latinae iniurioſum*, patet ex eo, quod immediatè ibidem attexitur: *Igitur hanc equalitatem ſuadere eſt Eccleſiam corrigere, & corripere, quod nefas*, audijſtin? *ac temerarium eſt*. Nolim, quod maximè dolerem, conuenire in Antigrapheum illud Ariſtotelis, eſſe quoſdam, quibus quodcumque videtur, ſtatim pro vero habetur; cuius rationem addit: *nam velut diſtantes, à longè ſpeculantur*. Quid quod ait Hieronymus, *caeremonias Iudaeorum peſtiferas eſſe Chriſtianis*? Ego ſcribit *reclamante mundo, libera voce pronunciem, ceremonias Iudeorum, & pernicioſas eſſe, & mortiferas Chriſtianis. Et quicumque eas obſeruauerit, ſiuè ex Iudais, ſiue ex Gentilibus, eum in barathrum Diaboli deuolutum. Finis enim legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti, Iudao ſcilicet, atque Gentili: neque enim omni credenti erit finis ad iuſtitiam, ſi Iudaeus excipitur*.

Ariſt. lib. 1. Elench. cap. 1.

Hieronym. ad Auguſt. in celebri epiſt. de Petro reprehenſo à Paulo, cui princ. Tres ſimul Epiſtolas *&c.*

Obijcit ſecundò. *Conſtat prater Eccleſias, quas Baronius in ſuis annalibus recenſet, Bononiae in via Purgatorij nuncupata, exiſtere Eccleſiam Sancto Iobo dicatam cū Noſtromio* (potiùs *noſocomio*) *& confraternitate Laicorum, ibique celebrari diem feſtum eiuſdem Sancti Iob cum officio, & miſſa, illamque ea die viſitantibus Gregorium XIII. indulgentiam plenariam perpetuam indulſiſſe; vbi & mercatores ſericae veſtis Beatum Iob in protectorem, aſſumpſiſſe, & adhuc habere; Nec non in Eccleſia Mendicantium Orphanorum eiuſdem Ciuitatis adeſſe altare eidem Sancto erectum, vt narrat Author Bononia illuſtrata*.

Reſpondeó, à B. Guerino de Guerinis, qui anno 1144. ad Cardinalatum promotus fuit à Lucio II. ædificatum antea, fuiſſe nimirum anno 1141. ex ærepaterno Hoſpitale, ſeù mauis græcè, Xenodochium (a quo differt Noſocomium) ſub titulo, non *Sancti Iobi*, ſed *Beatae Mariae*, vt legere eſt; & quidē non compendiariis notis, ſed protenſis characteribus, in tabella quadam, Bononiæ aſſeruata apud Canonicos Sancti Saluatoris, vbi vita exhibetur Lucii II. habenturque infraſcripta. *Hic enim Beatum Guerinum à Guerinis Bononienſem, ſuum conſanguineum, qui bonis ſuis Xenodochium quoddam, olim Beatae Mariae, Diui nunc Iobi appellatum, in Patria conſtruxerat, ac bonis fortunae ornarat, a Mortanenſi Canonica ad ſe vocatum, Praeneſtinum Epiſcopum, maximè reluctantem, aſciuit*.

Lucij II. vita in Tabella, Bononiae aſſeruata apud Canonicos S. Saluat.

Hactenus monumentum illud, abs quo Celſus Faleonins Canonicus regularis, Cherubinus Ghirardaccius Auguſtinianus, ac nouiſſimus omnium, Pompeius Vizanius excerpſerunt quicquid ad rem hanc in hiſtoriis ſuis Poſteritati commendarunt.

Celſ. Faleon. lib. 2. Memor. Hiſtor. Bonon. Ghirard. 1. p. lib. 3. Bonon. hiſt. Vizan. lib. 3. rerum Bonon.

Mente peruigili annotandum, huiuſmodi Oratoria, ſi quæ in Eccleſia Latina reperiuntur, nuncupata nominibus Sanctorum veteris Teſtamenti, non hæc nomina illis fuiſſe indita in primordiali eorum erectione, ſed erecta ſemper fuiſſe ſub titulo alicuius ex Sanctis noui Teſtamenti. Proceſſu deinde temporum à vulgari plebecula (quis enim leges præſcribat amēti?) denominata fuerunt nominibus Sanctorum veteris Teſtamenti. Sic Coloniæ Agrippinæ (teſte Nicolao Serario) Cœnobium eſt Virginum cum Eccleſia, quæ prætitulatur *Sanctorum Machabaeorum* à quingentis ad hanc diem annis. Siccinè anteá vocabatur? Nequaquàm; illiuſmodi enim Eccleſia vbi primum conſecrata fuit, nuncupata eſt Eccleſia *Sancta Magdalena*, non autem *Sanctorum Machabaeorum*; ſed hoc nomen indepta eſt tantùm, poſtquàm illuc adſportata fuerunt capita ſeptem iſtorum Machabæorum, eorumque Matris, quæ in Capſa deaurata, Altari ſummo ſuperpoſita fuere. Sic, quod nunc

Serar. in lib. 2. Machab. cap. 7.

Bono-

Bononiæ Oratorium *Sancti Iobi* vocatur, à principio vocabatur *Beatę Mariæ*, poſteà *Sancti Laurentij*, ac demum *Sancti Iobi*. Quia verò, quod de duobus (monitore Ariſtotele) veriſiare comprobatum reperitur, id ipſum præſumendum eſt, fieri potuiſſe de millibus alijs, non leuis coniectura duci poteſt, quod accidit in prædictis, Eccleſia Colonienſi, & Oratorio Bononienſi, id ipſum factum fuiſſe & in alijs ſiuè Oratoriis, ſiuè Eccleſiis, aliquo Sanctorum veteris Teſtamenti nomine nuncupatis. An verò ſic aſciticia haberi debeant prò ritè Inſtitutis, aliorum eſto iudicium. Pergat modò Antigrapheus, vt facit, dicere, Oratorio illi Bononienſi conceſſam eſſe indulgentiam à Gregorio XIII; illam eſſe perpetuam &c. Quo ad indulgentiam vtilius, atque ſatius feciſſet Congregationi memoratæ, ſi illam ſilentio prætеriiſſet. Perpendantur prima illius verba, ea ſunt, *Cum ſicut accepimus, in Ciuitate Bononienſi vna vtriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas Hoſpitalis, ſeu Oratorii Sancti Iob piè inſtituta ſit*. Per quæ patet in libello ſupplici, ad Summum Pontificem miſſo pro huiuſmodi Indulgentię obtentu, commiſſam fuiſſe obreptionem, aut ſubreptionem, dum aut falſum expreſſum eſt, aut ſaltem verum ſilentio inuolutum. Falſum, inquam, expreſſum, quia ſuppoſitum eſt Summo Pontifici, Oratorium Illud fuiſſe, à primis erectionis ſuæ initiis, erectum ſub titulo Sancti Iobi; veritas verò ſuppreſſa, ea erat, quòd illud non fuiſſet nomine Sancti Iobi vocitatum, niſi ab anno 1496. quo quidem lues gallica Bononiæ dirum in modū graſſabatur. Cum enim paulò anteà Sancti Laurentij titulum retineret, poſtmodum ab infirmis inibi, quàm maximà Bononienſium pietate curatis, dictum eſt *Hoſpitale Sancti Iobi*, quà de re Vizanius hæc literis prodidit.

Ariſt. lib. 4. phyſ. t. 58.

...alphabetia papyrus ...atenſa Indulgen... e plenaria, & qui... m perpetua, ... pro ...ononienſi S. Iobi ...ratorio, ſiuè Ho... itali.

Onde moſſi à compaſſione alcuni Gentil'huomini preuiddero di letti, e di ogn'altra coſa neceſſaria lo Spedale, detto ſin allora di S. Lorenzo de i Guerini; e lo deſtinarono al ſeruitio degl'infermi, quali ſi trouauano aſſliti di quel male. Et hauendoui fabricato appreſſo vna Chieſa, & Oratorio, lo dedicarono a San Giobbe.

...izan. lib. rer. Bo... n. 8. ad ann. 1496

Attendantur vltima hæc verba: Qui nam (dic amodò) fuerunt illius Oratorij dedicatores ſub nomine Sancti Iobi? an Summus Pontifex? an Archiepiſcopus Bononienſis? an aliquis alius, Eccleſiaſtico ordini cooptatus? Neutiquam, ſed primi illius Oratorij dedicatores ſub nomine Sancti Iobi, fuerunt Laici, patricijq; Bononienſes. Et fuerit hæc, quemadmodum Gregorio XIII. ſuppoſitum fuerat, recta, & legitima Oratorij illius dedicatio? Conſulatur *cap. nemo Eccleſiam diſt. 1. de conſecr.* vbi docemur, non poſſe id fieri, niſi ab Epiſcopis, vt pote quorum ſit locum ædificationis aſſignare, crucem figere; lapidemque ponere primarium.

Hinc facilè diſpici poteſt, quanti faciendum ſit Breue ſupradictum, fulcro tàm arundineo innixum. Profectò celebris eſt Iuriſconſultorum doctrina, quòd quando Princeps vnum diſponit, & alterum ſupponit, vt alicuius vigoris ſit diſpoſitum, debeat prius conſtare de ſuppoſito.

l. Mancipia C. ſeruit. fugit.

Non videtur autem ſilentio prætereundum, quòd in ſæpiùs memorato Breui commendatur confratribus vtriuſque ſexus, vt viſitent Imaginem Virginis Mariæ, nulla mentione facta de viſitatione Imaginis (vt exigere videbatur contextus) Sancti Iobi, quippè quia nulla ſupponebatur. Et quidem Auctor Bononiæ illuſtratæ ſcribit; In Icone Altaris maioris prætendi fidelium oculis Chriſtum crucifixum, Iobumque ad eius pedes coniacentem. Si res eò modo ſe habet, perinde ac Scriptor ille teſtatur, iam ad picturam, illam non aliter Iobus pertinere videtur, quàm vt res adiectitia, & vt Græci vocant, Parergon, non vt quid principale, ſed vt prorſùs acceſſorium.

...ntonius Maſinus Bonon. illuſtr. ...g. 311.

Nè intactum illud dimittatur, quod adiecit de Miſſa Sancti Iobi, aut Miſſa illa erat ad *poſtulandam patientiam*, aut pro ijs, *qui laborant morbo gallico*; præter enim has, non aliàs deprehendi prædicti Sancti Miſſas, priorem quidem in Miſſa-

...iſſa S. Iobi olim ...plex; nunc vtra... e obelo confixa.

Miſſali typis edito Venerijs apud Iuntas anno orbis Chriſtiani 1557. poſteriorem verò in Miſſali typis ſimiliter edito Venetis anno 1647. At verò vtraque inhibita eſt decreto Sacræ Congregationis Rituum, vnde neutra reperitur in Miſſali Romano poſt B. Pij V. reformationem per Breue incipiens: *Quo primùm tempore*, cum illa reſtrictione: *Huic Miſſali noſtro nuper edito nihil vnquam addendum, detrahendum, aut immutandum eſſe decernendo ſub indignationis noſtræ pœna, hac noſtra, perpetuò valitura conſtitutione, ſtatuimus, & ordinamus*. Quorum vigore ſi quis modo celebrare auſit vnam, aut alteram prædictarum Miſſarum, eum peccati mortalis nota non eximeret nobilis vtriuſque iuriſconſultus, Nicolaus Garzia; cui addo ego, nec Patres Concilij Rhemẽſis ſub Ludouico Cardinali à Guyſia celebrati annb 1583. & pauló poſtea confirmati a Gregorio XIII.

Breue, quo Pius V. Miſſalia reformauit datum eſt die 14. Iulij 1574.

Nicol. Garz. de Beneſic. par. 3. cap. 1. num. 156.

Concil. Rhem. cap. 4 de Breuiar. & Miſſali.

Obijcit tertiò: *Ferrariæ Eccleſia Sancti Iob reperitur propè arcem, vbi celebratur feſtum cum lucro Indulgentiæ plenariæ, & in eiuſdem Eccleſiæ contigua aula curantur infirmi, & in ea ex indulto Sanctiſſimi Domini Noſtri Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebratur. Confraternitas præterea in ea erecta exiſtit, quæ vexilinm cum Beati Iob imagine in proceſſionibus defert.*

Ex dictis ſatis, & pluſquàm ſatis in occurſu ad ea, quæ proximè obijciebantur, corruunt & ea, quæ hic iternm tanguntur de lucro Indulgentiæ plenatiæ, de Miſſa Sancti Iobi, & huiuſmodi. Si verò, vt obijcitur, Confraternitas illa in publicis ſupplicationibus vexillum præferat cum Imagine Beati Iobi, hoc inde factum eſt, vt confraternitas á confraternitate diſtinguatur, non vt propterea Sanctus Iobus publicæ venerationi exponatur. Illud tamen, & hic obſeruandum, quòd Eccleſia illa, quæ nunc à Vulgo *Sancti Iobi* nuncupatione inſignita eſt, multò ante nuncupata fuit Eccleſia *Sanctæ Mariæ Blancæ*. Dabo ad rem hanc verba non ignobilis Scriptoris rerum Ferrarienſium, Marci Antonij Guarini: *La Chieſa di Santa Maria Bianca laſciò l'antico nome, e fù di poi chiamata di San Giob, forſi per eſſer ſtata iſtoriata della vita di detto Santo; e fu per opera di Giouanni Muratore, inſtituita in compagnia, aggregata alla Archiconfraternità della Santiſſima Trinità di Roma.* Adeò è Republica veritatis prodijt, quod ſuperius dicebam, Eccleſias, quæ nuncupantur nunc nominibus Sanctorum veteris Teſtamenti, eas primitùs erectas ſub titulo Sanctorum noui Teſtamenti.

Guarin. in Compẽdio hiſtorico de origin. Eccleſ. Ferrar. pag. 45.

Et per hucuſque dicta patet, quodnam iudicium ferendum ſit de illo Piſaurenſi Altari, cuius obijciens commeminit in hæc verba: *Piſauri in Eccleſia Sancti Auguſtini exiſtit, & viſitatur Altare Sancto Iob dicatum, cuius feſtum die 10. May inibi cum Miſſa celebratur.* Quicquid ſit de illo Altari, reliqua quæ ſupponuntur, non ſubſiſtunt; etenim aſſignari non poterit (quod operæ pretium erat) altare illud fuiſſe legitimè Sancto Iobo dicatum potius, quàm Beatæ Mariæ, aut puerulo Ieſu, inter eundem Iobum à dexteris (quæ in Eccleſijs ſemper minùs nobilis, minuſue digna pàrs habita fuit) & Sanctum Rochum à ſiniſtris; Vnde, cum hæc pars ſit longè priori dignior, ac nobilior, probabile eſt, à Sancto Rocho potiùs, quàm à Sancto Iobo illud fuiſſe denominatum, aut certè denominandum.

Seuer. Binius to. 1. in notis ad Concil. Nicæn. n. trecentorum.

Baron. to. 1. ad annum 325. num. 52.

Iàm de Miſſa illa ſatis ſuperque. Interea cum ex literis Illuſtriſſimi Epiſcopi, illinc datis, certior fiam, non conſtare de fundata erectione illius Altaris ſub titulo Sancti Iobi, vel primigenia eius tituli origine, præſtolabor edoceri de legitima prædicti altaris, aſſertique Feſti inſtitutione. Hoc enim onus ei incumbit, *quia probare* (aiebat eruditiſſimus Cardinalis Bellarminus) *illi incumbit, qui affirmat, non ei qui negat.*

Rober. Bellar. to. 2. controuer. 3. lib. 4. cap. 24.

Obijcit vlterius: *Ceſenæ in Æmilia aderat Eccleſia Sancto Iob dicata, quam frater quidam Sancti Franciſci, propè cuius Conuentum ipſa Eccleſia ſurgebat, à fundamentis deſtrui curauit, & ſtatim lepra affectus eſt, qua diù excruciatus, miſerè occubuit.*

Mihi

Digitized by Google

Mihi ea ſcribenti forte fortuna contigit alloqui amicum, omni fide digniſſimum, qui tum temporis Cæſenæ degebat. Is, quod res erat, enarrans, aſſeruit, non Eccleſiam, illam fuiſſe, ſed cællulam bene anguſtam, non excedentem, altitudine hominis erecti ſtaturam; latitudine verò fuiſſe vix tricubitalem, ſine aliquo repagulo, itaut cuicumque pateret & ſine aliquo cultu, ita vt de die turpia viſu, de nocte illic fœdiora relatu, committerentur. Quibus permotus (vt fama tulit) P. N. Tontus vitæ exemplaritate, & doctrinæ plauſu commendatiſſimus, quippe qui primas ſcholarum ſui Ordinis cathedras rexerat, paucis horis (vide, quantæ molis illa fuerit) eam noctu quadam curauit funditus euertendam.

Illa quæ ſuperadduntur: *Venetijs pariter Eccleſiæ Sancti Iob, aliorumque Sanctorum veteris teſtamenti exiſtunt &c.* iam ſatis, & plus quàm ſatis diluta ſunt; vnde ne actum agere videar, omninò ab alijs dicendis me contineo. Illud vnum hic addam, quòd priuſquam ſupradicta obijcerentur, iam illis occurrerat haud fatuus Mat a, verbis quidē paucis, ſed ſucci plenis, vtpote veritatis ſubſidio præmunitis, ea ſunt: *De Sanctis verò veteris Teſtamenti, quos colunt Eccleſiæ particulares, non eſt habenda ratio pro gubernio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cum ſit Eccleſia vniuerſalis, & omnium aliarum Mater, & Magiſtra.* Quibus quidem non nihil fauere videntur Sacri Canones, abs quibus edocemur, quod in Feſtis celebrandis attendenda non eſt huius, vel illius Eccleſiæ particularis vſus, ſed conſuetudo Eccleſiæ Romanæ, *vt, quæ cuique Sacerdotalis dignitatis eſt Mater, ſit Eccleſiaſtica Magiſtra rationis.* Pro omni autem ratione (vt eandem iteratò tundam incudem) in re noſtra ſtat, quod fit Romæ: vbi etiamſi quàm intentiſſimè aciem figas oculorum, neque altare vllum, neque Eccleſiam inuenias Sanctis veteris Teſtamenti dicatam. Quòd ſi fortè aliquid horum mihi Romæ indigitetur (id quod vix crediderim) ad vocem confugiam Proculi, in conſimilibus reſpondere ſoliti, *non tam ſpectandum eſſe, quid Romæ fiat, quàm quid Romæ fieri debeat.*

Carol. Felix Matta de Canonizat. Sanctorum par. 4. cap. 3 num. 22.

c. de ijs diſt. 12.

l. ſed licet ff. de officio præſid.

Obiectis alijs occurritur.

Ante vſque adhuc in medium prolata, ſequentia protulerat Author Scripturæ, quæ ſilentio præterire non placuit, ne interpretaretur conceſſum, quod non fuerat expreſſè ſolutum iuxta illud, *qui tacet conſentire videtur.*

Primo *Cultum* (inquit) *Sanctorum ſpectare ad articulum fidei* communionis *Sanctorum*; & quod grauiſſimum dictu, & iniquitoris patientiæ eſſet toleratu, ſubinfert. *Porrò ſecus ſentientes hæreticos eſſe, non eſt ambigendum.*

Reſpondeò, qualis ſit illa communio Sanctorum, in quo be conſiſtat, facilè depromi poſſe ex Patre literatum Auguſtino docente, articulum de communione Sanctorum in hoc eſſe ſitum, vt, quorum vna, & communis fuit fides in terris, illis maneat vnum, & commune præmium in Cœlis. Exſcribo verba: *Sanctorum communionem, idest cum illis Sanctis, qui in hac, quam ſuſcepimus, fide, defuncti ſunt, ſocietate, & ſpei communione teneamur.* Ita ille de expoſitione Symboli ad Competentes, quod et alibi repetit.

Hic obſeruandum, alia requiri ad Sanctitatem Eccleſiæ triumphantis, alia ad Sanctitatem Eccleſiæ militantis. Vt quis ſit Sanctus in Eccleſia triumphanti, ſat eſt, vt fidei ſuæ mercedem, quæ in Dei viſione conſiſtit, inter beatos acceperit: vt ſit verò Sanctus, & prò tali colendus in Eccleſia militanti, non ſat eſt, vt ſit meritorum ſuffultus prærogatiuâ, ſed vlterius requiritur, hanc adeò emicuiſſe, vt à Sede Apoſtolica illi cultus, ac veneratio decernatur. Siquidem infans, ſi hinc decedat, vbi primùm baptizatus fuerit, certè Dei viſione illic perfruetur.

cap. qui tacet tit. de Regul. in 6.

tom. 10. ſerm. de tempore 130.

ibidem ſerm. 181.

An propterea qui Sanctus eſt in Cœlis, pro Sancto iſte ipſe coletur in terris? Neque

Digitized by Google

Nequaquàm. Cultus ergo Sanctorum non qualiumcumque (vt ab obijciente ſupponebatur) ſed qualis iam dictus eſt, ſpectat ad articulum *communionis Sanctorum*. Adferre huc poſſem complures, & quidem non parui æris Doctores ad eorum, quæ dicebam confirmationem. Dabo tàntùm verba Ioannis Baptiſtę Coccini Sacræ Rotæ Decani in relatione ab eo habita ad Summum Pontificem Paulum V. de Sanctitate, & Miraculis Venerabilis viri Sancti Thomæ de Villanoua Archiepiſcopi Valentini. *Præmittenda ſunt*, ait, *quæ requirantur, vt canonizari quis poſſit; non enim ſufficit, quòd aliquis ſimpliciter ſit ſcriptus in libro vitæ Eccleſiæ triumphantis per determinatiuam Dei ſententiam, prout ſunt omnes prædeſtinati; ſed requiritur vlteriùs, quòd ſcriptus ſit in dicto libro ſecundum præſentem iuſtitiam, prout ſunt illi, per quorum opera, documenta, & exempla Eccleſia iuuatur, informatur, & promouetur.*

Io. Bapt. Coccin. in relat. pro S. Thom. Villanou. paulòpoſt init.

PERORATIO.

ECcleſia latina, ne dum detrectauit ſemper cultum Sanctorum veteris Teſtamenti, ſed & curauit, ne illorum nomina Baptiſmali lotione tingendis, imponerentur. Quod, vt vetuſtiora omittantur, ſtatuerunt PP. Concilij Burdigalenſis, ſub Reuerendiſs. Antonio Preuotio Aquitaniæ primate, quod & à Gregorio XIII. fuit confirmatum die 3. Decembris 1583. hæc illorum verba: *Nomina quoque Sanctorum Patrum veteris Teſtamenti affectare hæreticorum eſt. Quo circa seriò Parochi admoneant huiuſmodi nominum cupidos, vt, quò maiori gratia, & lumine, nouum teſtamentum præſtat veteri, ſic longe ſit decentius Sanctorum Apoſtolorum, & Diſcipulorum Chriſti, atque aliorum, qui eorundem Sanctitatem imitati ſunt, nomina infantibus imponi.* Hiſcè paulò poſtea Patres Concilij Bituricenſis habiti anno 1584. ſub Reginaldo de Beaulne Patriarcha, & Archiepiſcopo, aſtipulati ſunt in hæc verba. *Nomina tantùm Chriſtianæ profeſſioni conuenientia, in Baptiſmo imponantur, ne Paganiſmum, vel Iudaiſmum Chriſtianus redoleat.* Concilio huic confirmatione ſua calculum album adiecit Sixtus V. die 5. Octobris 1585.

Concil. Burdig. anno 1583. tit. 9.

Conc. Bituric. an. Dom. 1584.

Siqui adhuc opinionem pertineant de futura petitorum approbatione, quòd iam Oratorium Albani ſit Sancto Iobo constructum, quòd ſuperpoſitus ſit illi eiuſdem Sancti titulus, quòd plenitudo veniarum impetrata, habeant non ex me, ſed ex ipſo Sacrorum Canonum tenore, vnde non ampliùs contraid, quod cum ratione negabatur, perſiſtant; ſed vnde ab eo, quod contra rationem concedereſur, iam demum abſiſtere condiſcant. Illa omnia, cum diſſentiente Ordinario, facta ſint, indebitè facta ſunt. Termini autem ſunt in iure quoqueuerſùm æquipollentes *indebitum, & nullum.* Quid mirum? profecto ex Sacris Canonibus, *quæ contra ius fiunt, debent vtique prò infectis haberi.* Quid verò ea in re, vt à vetuſtioribus me contineam, Sacroſanctum Tridenti Concilium? Statuit, *Nemini licere vllo in loco, vel Eccleſia etiam exempta* (qualis eſt Regularium) *vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit.* Et quid magis inſolitum, quam Sanctorum veteris Teſtamenti Imagines in Alteribus Latinorum?

cap. Quæ contrà tit. de regul. iur. in 6 cap. ex tenore tit. de Reſcriptis.

Trident. ſeſſ. 25. de venerat Sanctor.

Idcirco obſcurum eſſe non poterit ſummę Eminentiſſimorum Dominorum perſpicacitati, quàm religioſè cuſtodiendus ſit vſus, tot rationum, tot Doctorum, tot Conciliorum teſtimonijs, à primis vſque Eccleſiæ latinæ incunabulis ſeruatus, retentus, atque illibatus. Nec moueri debent, ſi quid fortè in contrarium alicubi reperiatur; trahi enim non debere in exemplum, quæ gratioſè aliquibus fortè permiſſa ſunt, vel ipſis Sacris Canonibus admone-

mur

mur. Quin etiam leges ipſæ ciuiles nos edocent, ab ijs, quæ vt in pluribus fieri ſolent, non eſſe recedendum ob caſum perrarò accidentem. *Ipſa quippe mutatio conſuetudinis*, aiebat Auguſtinus, *etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat*. Id quod non ſemel, ſed iterùm, tertiò, ac ſæpius inculcabat in Concilio Rhemenſi præclarus theologus Richardus à Prato. Quæ omnia ob oculos multò ante ſibi præfixiſſe videtur Metrophanes Smyrnenſis Metropelita in Concilio 8. generali, hoc eſt Conſtantinopolitano 4. vbi hæc ille aduerſus Zachariam Chalcedonenſem, *quæ rarò ſiunt, legibus non officiunt*. Vndè quemadmodum natura nihil innouat ſine neceſſitate, ita prudentes Reipublicæ Chriſtianæ Gubernatores non debent ſine cauſa aliquid noui permittere.

cap. quod alicui tit. de reg. iur. in 6.
l. iura ff. de legib.
S. Aug. to. 2. Epiſt. 118.
Richar. a Pra. in Conc. Rhem. ann. 1564. congreg. 7.
Concil. 8. gener. act. 6.
l. in nouis ff. de conſtit. Princ.

F. A. Grimaldus Epiſcopus Methon. Suffrag. Albanen.

Reuiſ.

Andreas Pierius Subpromotor Fidei.